

putavi ut in templis Urbanis, Rosario Mariali quoties datur opera, toties per hoc intervallum temporis singulares precationes adhibeantur in columitati sanctissimo Patri exoranda, iussis pariter sacerdotibus quotidie inter rem sacram idem a Deo servatore fusis de more precibus enixe petere Praeterea quinto Idus-Iunias proximas meum erit sacris eodem animo ad templum Ludovicianum operari, monito iam per litteras populo Romano, ut quanto plures fieri potest, convenire illuc eo die ad sancta de altari libanda velint.

Cetera, quae gratulundi caussa et honoris per hanc occasionem habendi Pontifici maximo Consilium supra dictum decreverit, tu quidem ex ipsius litteris alias distinete cognosces.

Ista interim, quae dicta sunt, tibi cognita obeam rem voluimus esse, ut quae ad celebritatem extraordinariam parato opus esse in Diœcesi tua censueris, ea mature parare, simulque nos et consilio et opera, quod vehementer rogamus, iuvare ne graveris.

Felicia tibi omnia a Deo comprecor, animique mei tibi addictissimi sensa libens profiteor.

Datum Romae die XXIV Maii An. MDCCCCI.

PETRUS CARD. RESPIGHI,

Vice Sacra Antistes Urbis.

---